

Regiæ Academiæ Aboensis h.t.
rector, M. Johannes Flachsenius,
mathem. prof....

Flachsenius, Johannes Henrici,

82 Aa 16/3



National Library
of Sweden

REGIÆ ACADEMIÆ ABOENSIS
h. t. RECTOR,
M. JOHANNES FLACHSENIUS,
Mathem. Prof. Publ. & Ord.

LECTORI BENEVOLO SALUTEM ET INCOLUMITATEM P. P.



Tantum sanè mirari subit Justiniani, quo in vindicanda legum gloria præ armorum strepitu, armis *decorari*, legibus verò *armari* tribuit; quinimò comparatione instituta orationem ita contextit, ut legibus majus quid inesse quam armis asserat; haud obscuro innuens indicio, legum vinculis fortius constringi & muniri rempublicam quam violentia armorum. Quo dubio procul respexit Tullius I. de off. scribens, Lacedæmoniorum imperium multò plus debere Lycurgi legibus & disciplinæ, quam aut Pausaniæ aut Lyfandri rebus gestis, *arma foris parum prodesse ratus, nisi sit consilium domi*. Hinc Agefilaus magnus ille Lacedæmoniorum Rex interrogatus, utra virtus esset præstantior fortitudo an Justitia, graviter respondit: fortitudinis nullum esse usum nisi adfit Justitia. Quæ omnia legum majestatem necessitatemq; maximè commendant. Primarium verò legis officium, hominum mentes de rebus honestis piis & justis utpote faciendis edocere: itemq; de inhonestis impiis & injustis ceu fugiendis admonere. Tradidit namq; Deus doctrinam legis non ut in libris delitesceret, sed ut docendo spargeretur & notâ quadam potentiore cordibus inscriberetur. Unde confit tanta dexteritate leges in Curiis & tribunalibus praxi frequentari, quanta cum fide & rectitudine in officinis literariis, quæ seminaria sunt reipublicæ, inculcantur docenturque. Cælo tenus proin & quidem veneratione subjectissima extollenda provida & ineffabilis cura *Serenissimi & Potentissimi Regis CAROLI XI. Svecorum Gothorum Wandalorumq; Regis &c. &c. Regis & Domini Nostri Clementissimi*, qui pio Zelo continuo id agit clementerque præcipit & mandat, ut Sacratissimarum Legum vigor non tantum in praxi forensi intemeratus existat, sed & jura ceu justitiæ fontes in Academiis patriis juventuti per idoneos Doctores maturè instillentur, præparenturque ut existant qui summotis aliis operi succedant & patriam juvent ministeriis. Inde factum, ut præeunte nominatione unanimi amplissimi Senatus Acad. vacanti heic Professioni Juris, Regiis literis sit præfectus Vir Clarissimus & Consultissimus **DN. MATTHIAS SWEDERUS**, qui jactis fundamentis in Philofophia solidioribus, præcipuam & singularem adhibuit operam Sacratissimo studio Juris, primum in Academiis patriæ, deinceps vero aliquot annorum spatio idem uberius in variis exoticis Academiis excoluit, Clarissimorumq; Ictorum colloquiis peregrè adjutus magis perfecit; adeo ut ob insignes in peritia juris tam publici quam privati profectus, non solum à Facultate juridica Upsaliensi prolixè sit commendatus; sed & à Regio Judicio Holmensi ob singularem in praxi solertiam, præcipuam retulerit laudem literis Regiis attestantibus. Quæ omnia spem faciunt indubiam, illum, auxiliante supremo Numine, spartam sibi concreditam ex fide & cum emolumento discentium, exornaturum. Ad hoc ipsum autem officium, secundum tenorem Constitutionum Regiarum, Die hujus mensis octavo decimo seu futuro die Jovis, ex decreto senatus Academci, solenniter est introducendus. Iccirco omnes quos LL. majestas permovere vel dignitas allicere potest, majorem in modum rogamus, dignentur dicti diei horâ Nona, ad sonitum campanæ maximæ in ædibus Professoris Phys. Præclarissimi DN. Mag. PETRI HAHNS convenire, & Dominum Professorem inaugurandum in auditorium Acad. maximum deducere, ibidemq; cæteras solennitatis Ceremonias exoptatissima sua præsentia exornare. Præcipuè autem studiosam juventutem monemus & hortamur, velint acclamationibus votivis novum Præceptorem frequentes excipere debitiscq; obsequiis eidem assurgere. Valete. Dab. Aboæ die 14. Novembris Anni reparatæ Salutis cbs lxxxvi. & publice propof. Dom. xxiv. Trinit.



